



Ioannes apud Belgas, patria Sleidanus, natus est anno 1506. Is cum prima rudimenta literarum in patria didicisset, sese in Galliam contulit, & Lutetię bonis artibus & linguis diligenter incubuit. In ijs etiam adeò progressus est, ut sua eruditione omnibus innotesceret. Postea quoq; Iuris studia comple xus, in ijs publicè Licentiam impetravit. Hisce & eloquentiæ studium & Latini sermonis puritatem adiecit. Cum hoc modo diu in Gallia uersatus es set, tandem amore religionis 1542 Argentinam peruenit, & ibidem literariam rem sua doctrina plurimū adiuuit. Ibi primum Philippi Comminei commentarios, de rebus gestis Ludouici eius nominis undecimi Galliarum regis & Caroli Burgundiæ ducis, lingua Gallica mirabili industria scriptos, in Latinum sermonem transtulit. Postea quoq; Iacobi Sturmij uiri prudentissimi familiaritatem nactus, de statu religionis & reipublicæ Germanorum, Carolo quinto Cæfare, cōmentarios diligentissimè amicorū hortatu scribere cœpit, & tādē libris 25 fiuiuit, presertim cū publico Protestantium stipendio eò inuitaretur. quæ quidem historia ab anno 1517 ad 1555 continuata hodie ubiq; circumfertur. Eam ego, ipsius Sleidani uenia, primus ex Latino in uernaculam transtuli, & tandem ad annum salutis 1562 Latine tribus libris auxi & continuaui.